Conscriptus esset. Qua indignitate permoti cum eos in-
stigator noster Rebellionis criminisque laesae Maiestatis ob
admissa huiusmodi facinora reos accusasset, factumque illi
extenuantes, civitatem amittendorum Privilegiorum et
libertatum suarum Religionis item immutandae metu fe-
cisse propter absolutam Potestatem Commissariorum,
quae praeter consuetudinem et morem solitum uti asser-
bant, eo tempore audisset, et alia id genus excusatio-
nis allegassent, ut latius in processu causae huiusmodi re-
sponsisque et allegationibus tam ex parte instigatoris
nostri, quam internunciorum civitatis Gedanen. fusius
continetur. Ex quibus tametsi deprehenderimus rei illius
non civitatem et populum sed nonnullos istius civita-
te autores extitisse, tamen ne in re maxima et totius
civitatis jura et privilegia libertatem, famam, ho-
norum, facultates vitam denique ipsam concernente, inconsulti
aliquid decrevisse videamur, cupientes horum omnium
exactiorem, certioremque cognitionem habere, omniaque
explorare. Ex conventu Lublinensi Commissarios
iterum nostros in eandem civitatem ablegavimus ut plene
nos de omnibus informarent, causasque et autores non
admissorum in civitatem Commissariorum ex testimoniis
in eadem civitate inquirerent. Quod cum diligenter
ab eis factum esset, in eo Conventu Varsoviensi ex
relatione Commissariorum nostrorum aliisque legiti-
mis productis documentis cognosceremusque civitatem
Gedanense